



Crisis Theologica

In Qva Selectiores, Et Aciores hujus, et elapsi sæculi controversiæ,
subsecuturâ in Elencho legendæ discutiuntur

Crisis Theologica - In Qva Selectiores, Et Aciores hujus, et elapsi sæculi
controversiæ, subsecuturâ in Elencho legendæ discutiuntur

Casnedi, Carlo Antonio

Ulyssipone, M.DCCXI

Sectio Tertia. An conscientia invincibiliter erronea esse possit regula
morum contra P. Eliz. & Palanco?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84777](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84777)

peccatum in se, sum tamen certus, me non peccare formaliter per syllogismum reflexum adductum.

N. Abstinco à ferendis Palanco argumentis, tum quia coincidunt cum allatis, tum quia
95. Palanc. *sect. 4. ca. afferemus, cum perinde sit; ut enim conclusio sequens est fere eadem, ac præterita, ita argumenta, quæ stant contra unam, stant contra aliam.*

S E C T I O III.

An conscientia invincibiliter erronea esse possit regula morum, contra P. Eliz. & Palanc.

S U M M A R I U M.

Omnis conscientia invincibiliter erronea, si sit certo prudens, & certo saltem probabilis de honestate operis est morum regula. DD. n. 96.

Laudatur M. Mercor. qui docet, Deum pro regula dedit conscientia dictamen: Cui num. 99.

Tenemur sequi rationis ductum, etsi erroneum, n. 100.

Non omnis mensura, (ait S. Thom.) debet esse certa, n. 101.

Conscientia invincibiliter falsa est conformis primæ morum regule, n. 102.

Satis ut sit prædictæ vera, ut sit morum regula, n. 103.

Satis ad scientiam moralem, ut ejus veritas sit practica, ibid.

Quid veritas speculativa, quid practica? n. 104.

Non repugnat, ut conscientia sit simul speculativè falsa, & prædictæ vera, n. 106.

Conscientia temeraria est sæpe logicè vera, & prædictæ falsa; & contra sæpe est logicè falsa, prædictæ vera, n. 107. 108.

Rejicio Celladei volentem, quod sola conscientia vera sit recta, & sola recta sit vera, num. 109.

Regula formalis morum est illa, quæ proponit obiectivam, n. 110.

N. **I**dem est querere, an conscientia erronea
96. ac querere, an conscientia invincibiliter erronea esse possit moraliter recta, nam se mutuo inferunt.

N. Mea conclusio est, quod omnis conscientia
97. invincibiliter erronea, si sit certo prudens, & de operis rectitudine certo saltem probabilis, est moraliter recta, atque adeo est regula morum. Hanc conclusionem sustinent quotquot *sect. 2. in nostri favorem*

s. Th. citavimus, nempe S. Thom. 1. 2. qu. 19. art. 5. & in secundum *dist. 39. art. 3. ad 3. & qu. p. 17. de Veritate art. 4. P. Vasqu. d. 58. cap. 2.*

Mercor. 1. p. art. 6. pag. 13. P. Moya *tom. 2. M. Mer. qu. 9. Philalet. qu. 1. pag. 12. & pag. 90. P. M. Ovid. 1. 2. tr. 5. contr. 2. n. 5. Henricus tom. 2. d. 4. qu. 2. a. n. 7. P. Teril. qu. 1. de Reg. mor. n. 10. & qu. 3. per totam, & qu. 35. a. n. 2. & ferè omnes contra Baium, Janfenium, Eliz. lib. 3. per totum, & Palanco qu. 6.*

Dixi, si sit certo prudens; si enim sit ex levi fundamento, tunc non erit moraliter recta, immò nec erit invincibiliter, sed vincibiliter erronea.

Dixi etiam, si sit certo probabilis de operis rectitudine, quia, ut fusè probabo infra, non satis est probabilitas probabilitatis, sed debet adesse certitudo probabilitatis in opinione, quam sequor.

Probatur prius secunda pars, quæ est evidens; nam omnis conscientia moraliter recta potest esse regula morum: ergo si invincibiliter erronea est moraliter recta, poterit esse regula morum. Confirmo: quia esse regulam morum non est, nisi esse regulam volitionum, in his enim residet moralitas, seu conformitas cum recta ratione, & lege Dei: sed regula volitionum proxima, & formalis est sola conscientia moraliter recta, ut dixi *disp. 5. in notandis*: ergo conscientia moraliter recta, est regula morum: ergo si conscientia invincibiliter erronea est moraliter recta, est regula morum.

Prima pars probatur; placet autem in N. medium trahere formalia verba M. Mercori, 99. ut tanto magis eluceat falsitas sententiæ, quam tradit P. Eliz. qui non tantum recedit à nobis, sed à præcipuis Anti-Probabilistis, dum vult, solam veritatem esse regulam morum. Ait ergo M. Mercor. pag. 13. N. Licet bonitas nostrarum operationum pendeat ab objecto, ut est conforme legi æternæ; attamen, quia sæpe ignoramus, quid jubeat, & quid vetet lex æterna, quid ea admittat pro honesto, quidque ea repudiet, ideò Deus pro secundâ regulâ dedit nobis dictamen rationis, cui teneremur conformari, esto aliquando sit erroneum; quia cum hoc sit per accidens, non ideò amittit rationem regulæ; ut enim melius est, ut milites obediant semper Tribuno præcipienti nomine Regis, esto aliquando possit præcipere, quod non præcepit Rex, & tunc adhuc longè melius est obedire, quia longè maius malum est, si numquam obedirent, quam si semel obediant in eo, quod non præcepit Rex; & longè maius bonum est, quod resultat ex tali obedientiâ, quam damnum, quod aliquando potest accidere ex eo, quod aliquando obediant Tribuno, Rege non præcipiente, seu damnum, quod aliquando evenit ex errore in acciden-

accidentali Tribuni: ita Dei providentia præcipit, ut in omni re sequamur dictum rationis, etsi aliquando erraremus, & exequeremur id, quod est verè contra Deum; quia manus bonum est, quod ex dicto præcepto universaliter refultat, quàm sit inconveniens, quod ex errore aliquando contingit; quia, ut ait S. Th. qu. 91. de Leg. art. 3. Non oportet, quòd omnis mensura sit omnino infallibilis, & certa, sed secundum quod est possibile, in genere suo: ergo non obstat, ne dictamen rationis sit regula, quod aliquando sit erroneum, quia plerumque est verum. Hæc sapienter M. Mercor. qui dat rationem in verbis adductis, cur teneamur parere dictamini erroneo, & esse per accidens si erremus, & dictamen erroneum esse regulam, ut diximus hic *sect. 2. §. 1.*

N. Eadem prima pars probatur, & quidem
102. evidenter ex his, quæ diximus contra Baiu, Janfenium, & P. Eliz. quia conscientia invincibiliter erronea potest esse conformis primæ regulæ morum; ergo potest esse moraliter recta. Antecedens patet; quia excusat à peccato, immò reddit honestum opus sub eâ positum; ergo potest esse moraliter recta.

N. Confirmo enervando præcipuum sententiæ adversæ argumentum: Eatenus conscientia invincibiliter erronea non potest esse moraliter recta, seu regula morum, quatenus non est speculative vera, sed non est necesse, ut talis sit, satis enim est, ut sit practice vera; id est, non est necesse, ut actus conscientiæ sit conformis suo objecto, quod repræsentat, sed satis est, ut actus conscientiæ sit conformis regulis morum, juxta quas dirigit opus: ergo conscientia invincibiliter erronea potest esse moraliter recta. Minor probatur: quia cum finis scientiæ moralis, sive naturalis, sive supernaturalis, sit dirigere mores, consequenter veritas scientiæ moralis debet esse practica, eademque veritas sumi debet ex consonantia, tum actus intellectualis conscientiæ dirigentis practice ad opus, tum ipsius operis, quod dirigit, cum primis regulis morum. Contra cum finis Philosophiæ sit cognoscere res, ut sunt in se, consequenter ejus veritas est speculativa, & sumi debet à conformitate actus cum objecto speculato: ergo ut conscientia sit moraliter recta, satis est, ut sit practice vera. Dixi autem supra *fusè d. 5. in notandis*, quòd ille actus est speculative verus, qui suo objecto se conformat representando illud, ut est in se; ille practice verus, qui se, & objectum, seu opus, ad quod dirigit, conformat exercitè ipsius regulis morum, nempe conscientiæ, quatenus conscientia se conformat in dirigendo ipsum opus illis regulis directivis.

Tom. I.

Confirmo totum hoc paritate ineluctabili: Ut enim Deus non jubet, ut verba rem à parte rei, ut est in se, sequantur, dum jubet ne mentiamur, ne falsum testimonium dicamus; sed tantum jubet, ut verba exprimant rem, qualis prudenter creditur esse; ita dum jubet, ut eum colamus, amemus, & homines diligamus &c. non jubet, ut actiones honestatem à parte rei sequantur, sed tantum ut honestatem exprimant, qualis prudenter per judicium certò probabile creditur esse.

Probatur 3. hæc prima pars: Licet enim N. repugnet eandem conscientiam esse simul
106. speculative veram, & speculative falsam, aut simul esse practice veram, & practice falsam, non tamen repugnat simul esse speculative falsam, & practice veram, ut expressè fatetur M. Baron. in defensione Fagnani 2. *M. Bar. p. Manduct. ad Theol. Mor. d. 4. sect. 1. art. 3. §. 1. pag. mihi 358.* ait enim minus probabile, dummodo tutiorem, esse sepe speculative falsam, & semper practice veram, quatenus verum est eam opinionem non esse contra legem, cum stet pro eâ; sed conscientiam esse erroneam non est, nisi esse speculative falsam quoad objectum, quod repræsentat, repræsentando objectum aliter, ac est in re; & conscientiam simul esse ethicè, & practice veram non est, nisi esse conformem primis regulis morum directis, vel reflexis Synderesis, aut ipsius Dei: ergo non repugnat conscientiam simul esse erroneam, & moraliter rectam. Maior probatur: Nulla est repugnantia, quòd ultimum conscientiæ dictamen sit in representando naturam talis operationis speculative falsum, & simul sit in dirigendo voluntatem ad illam operationem; sit, inquam, verum, seu conforme regulis directivis morum, ut accidit in hoc actu, *Hæc Hostia consecrata est adoranda*; qui actus est falsus quoad consecrationem, & est verus quoad adorationem; nam Hostia putata invincibiliter consecrata est adoranda: similiter in hoc, *Hæc uxor est mea*, adeoque licet accessus ad illam; ut accidit ipsi Jacob: qui actus est falsus quoad hoc, quòd talis mulier fuerit ejus uxor, & est verus quoad accessum, quatenus cuique licet accedere ad mulierem putatam invincibiliter propriam uxorem.

Ratio à priori est; quia omnis conscientia N. practice in dirigendo voluntatem ad opus
107. conformis primæ regulæ morum est practice vera: sed omnis conscientia speculative falsa, si sit invincibiliter falsa, est practice conformis primæ regulæ morum objectivæ, & formali, quæ sunt principia Synderesis, & Dei reflexa: ergo omnis conscientia invincibiliter

Q. iij

cibiliter

cibilibus speculative falsa est practice vera.
Ut enim paucis verbis rem totam concludit
P. Vasq. *I. e.* toties ratio est recta, quoties
est conformis regulis morum, non autem
necesse est, ut sit conformis rei, quam enun-
tiat: ergo volitio tali rationi conformis erit
moraliter recta.

N. Confirmo : quia non omnis conscientia
108. speculativè vera est moraliter recta; nec om-
nis moraliter recta est speculativè vera; nam
omnis conscientia temeraria, & improbab-
ilis, etfi sit vera, non est moraliter recta, &
omnis erronea invincibilis, etfi sit specula-
tivè falsa, est moraliter recta : ergo aliqua
speculativè vera non est moraliter recta, &
aliqua moraliter recta non est speculativè
vera: ergo aliqua moraliter recta potest esse
speculativè falsa, seu invincibiliter erronea.

P. Teril, Nam, ut ait P. Teril. *qu.* 3. de Reg. mor. *n.* 74. Theologi potius in materia de Conscientiâ non respiciunt ad veritatem logicam, quia saepe contingit homines aequè peccare sequendo conscientiam veram, ac falsam: ergo potius respiciunt veritatem ethicam.

N. Ex hac doctrinâ inferitur 1. errasse P.
109. Eliz. non tantum, dum docuit solam confici-
P. Eliz. entiam veram esse rectam, sed etiam dum
docuit solam conscientiam rectam esse ver-
ram: primum patet ex dictis, ubi distinxi-
mus veritatem a rectitudine, & quia si sola
conscientia vera esset recta, error invincibi-
lis non excusaret, immò qui sequeretur con-
scientiam temerariam speculative veram,
benè operaretur: secundum etiam patet,
quia sæpe conscientia falsa est ethicè recta,
nec tamen est vera; potest enim opinio pro-
babilior, immò probabilissima, esse falsa, &
tamen esse ethicè recta.

N.
II O.
P. Eliz.

Intertur 2. iterum errasse dum in *Appendice de Naturâ opinionis qu. 9. initio* docuit, conscientiam erroneam non posse esse regulam morum; si enim loquatur de invincibiliter erroneâ, non tantum excusat à peccato, sed etiam est per accidens regula formalis morum. Ratio est, præter alias hic *scilicet* 1. quia illud iudicium est regula formalis morum, per quod regula objectiva morum proponitur: ergo omne iudicium conscientiæ, sive prudenter verum, sive invincibiliter falsum, proponens tale objectum esse honestum, est regula formalis morum. Confirmo: quia æque repugnat operationem humanam elici sine regula formali, ac sine objectivâ: sed repugnat elici sine objectivâ, inquam operans respiciat; ergo repugnat elici sine regula formali proponente objectivam: sed iudicium conscientiæ proponens obje-

ctivam est per omnes TT. regula formalis: ergo iudicium conscientia, sive verum, sive invincibiliter falsum, est regula formalis. Addit P. Teril. de Reg. mor. *qu. 35. n. 3.* omnes, excepto Celladei, supponere conscientiam invincibiliter erroneam esse regulam morum, tum quia excusat operationem ab omni malitia formali, ut ipsemet Eliz. docet; tum quia dat honestatem actui. Plura Teril. qui ita arguit contra Eliz. Per te ratio probabilis, si sit vera, est regula; peto modo de aliqua ratione particulari, an sit regula: dicere debes, Fortè est, fortè non est; sicut fortè est vera, fortè non est vera; ergo ponis regulam non regulam; ponis enim per regulam id, quod discernere non possumus à non regula: ergo frustra negas rationem invincibiliter erroneam esse regulam, cum & re ipsa regulet, & frequenter certò cognoscere possumus reflexe, quòd operatio non fuerit mala, sed bona.

SECTION IV.

Solvuntur objectiones.

§. I.

*Quia nullum difforme potest esse conforme : &
quia est oppositio inter conscientiam, &
legem Dei.*

S U M M A R I U M.

Arguitur, quia nulla conscientia speculative falsa potest, esse conformis sapientie Dei, & principijs Synderesis speculative veris, n. 111.

Ad ultimum conscientia dictamen, quod est quasi conclusio, non satis principia Synderesis directa, & reflexa, sed necessaria alia propositio, à quâ resultet, n. 112. 113.

*Ostendo conscientiam non tantum præsuppositivè,
sed formaliter logicè falsam, esse conformem
regulis morum, n. 114.*

*Hoc S. Bonaventura valde egregie exponit, ibid.
Quale sit objectum conscientie proximum, quale
remotum, M. 115.*

Idem judicium potest simul esse speculativum, & practicum; immò speculative falsum, & practice verum, n. 117.

Unde sumatur veritas, & falsitas speculativa,
unde veritas, & falsitas practica? n. 118.

DD. tuentes posse actum supernaturalem esse intrinsecè honestum, & extrinsecè inhonestum, R. 119.

Idem judicium potest esse simul falsum, & verum, diverso genere falsitatis a veritate,
n. 128.

Paritas horologii est aperte contra Celladei, n.
121.

Principia sapientia Divina, & Synderesis hu-
mana